



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

143 Tractatus de permutandis beneficiis an sit prohibitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

res, ea multiplex reddi posset: nobis in praesentia pro ratione sufficit litium pro crastinatio protractioque miserrima pluribus procuratoribus interuenientibus; alio scilicet alterius absentiam frequenter causaturo & eius praesentiam desideraturo morasque semper alias ac alias nexuro, non sine grauissima vexatione colligantis: & quod alioqui satis praclare cum litigantibus agatur si vel vnico sibi liceat hinc inde vti procuratore; cum ad lites mature finiendas & ad veritatem facilius & citius eruendam plurimum faciat interuentio semper personalis. vnde priscis temporibus non temere neque promiscue procuratoribus vti liberum fuit ne in causis quidem ciuilibus nedum criminalibus. Institut. de iis per quos ager. poss. in princ. Sed haec de Procuratoribus adhibendis vel non adhibendis obiter haecenus.

Ait Pont. *inter se tractare coepissent.* Quærunt hic Interpretes plerique omnes an solum tractare de permutandis beneficiis prohibitum sit quemadmodum prohibita est ipsa permutatio vel ipsum permutare. Ac Glossographus quidem noster in verb. *tractare* sic aperte sentit. allatis ad hoc praecedentibus aliquot capitulis, id minimè tamen probantibus, cum loquatur de ipsamet permutatione iam perfecta. Glossographum sequuntur Innocentius & Petrus Ancharanus, hac praecipue moti regula iuris in 6. cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo, vel etiam quae preparant viam ad illud. quem in finem simul allegant

142
Ratio cur plures non admittantur procuratores.

143
Tractatus de permutandis beneficiis an sit prohibitus.

I. oratio. *π.* de sponsal. quo loco sponsalia prohibentur inter eos quibus & nuptiæ sunt prohibiti; cum per sponsalia soleat ad nuptias perveniri tanquam per quædam præparamenta; sicuti per tractatum de permutando veniri solet ad ipsam permutationem. Quæ sententia videtur etiam iuvari per hoc quod Põrifex hoc ipso loco simplicitati se parcere dicat; nam si nihil fuisset hic à tractantibus de permutando peccatum, parcere non fuisset opus neque gratia illa indignissent. Attamen his vel similibus aliis quibuslibet argumentis non obstantibus, verior & benignior esse videtur sententia contraria, quæ & communis est & usu confirmata, simplicem nudumque tractatum de permutandis beneficiis non esse vel hic vel alibi prohibitum, quia simplex tractatus non habet firmum propositum vel animum planè deliberatum & resolutum sed solam nudamque deliberationem pendentem sine conclusione vel absoluto consensu. c. ult. s. de his quæ fiunt à maior. part. capit. & c. tua nuper s. de his quæ fiunt à prælat. sine consens. capit. Nec ad rem faciunt argumenta in contrarium allata; quandoquidem regula ista, cum exemplo sponsalium, intelligitur de simpliciter & absolute prohibitis: atqui permutare beneficia non est prohibitum simpliciter & absolute, sed auctoritate tantum propria permutare prohibitum est, non autem cum consensu Episcopi. c. quæsitum. & c. cum olim. hoc nostro tit. Quod verò parcatur hic iis qui de permutando tractant.

ctauerant, non fit propter nudum tractatum
sed propter absolutum ad permutanda benefi-
cia consensum; adeò vt & resignatio iam ex al-
tera parte subsequeretur, altera simul parte be-
neficium sic resignatum cōsanguineo cuidam
suo confestim assignante; sicuti patet ex ipso
contextu: quin & accedente promissione me-
morati L. de præbenda sua vicissim resignanda
huic G. (Laurentium nominat hic alterum Ioan-
nes Imolensis, alterum verò Gerardum) cūm
tamen Episcopi consensus non inueniatur pe-
titus. deinde iuxta Panormitani traditionē hic
nu. 7. in fin. resignatio Gerardi fiebat in fauo-
rem tertij, nimirum illius qui Laurentio con-
sanguineus erat. Atque his in rebus latebat
hulcus istud quod hic exumpebat; & hinc illæ
lachrymæ, vel potius hinc gratiæ Pontificalis
quasi malagina medicum quoddam quo variè
delinquentibus parcebatur: quam tamen gra-
tiam fortassis vix impetrassent, si non ex leui-
tate quadam sed malitiosè peccassent. de qua
quidem leuitate constat ex integrioris conte-
xtus nostri supplemento. Quamuis igitur pa-
ctiones omnes beneficiales vt ac tanquam si-
moniacæ damnentur, c. cūm pridem. & c. vlt.
s. de pact. huiusmodi tamen tractatus nudus
de permutatione beneficiorū canonicè facien-
da vitio simoniæ caret. adeò vt etiam si publi-
cum fieret inter ita tractantes instrumentum,
stipulationibus atque promissionibus interue-
nientibus de Summo Pontifice vel eius Lega-
to vel Episcopo super approbatione permuta-
tionis

144
Quia in re pec-
cauerint hi
permutantis.